

ter, & sic dicitur Modus Entitas rei, quæ in eo formaliter consistit, quod actu rem singularem afficiat, ita ut nec per potentiam DEI absolutam possit esse, nisi actu illam afficiat, nec concipi etiam sine hac possit, cum tamen ab ea citra intellectus operationem i. e. non sola ratione distingvatur.

§. VII. Quâ in descriptione dicitur, quod *Modus sit Entitas rei*, & rectè quidem; Licet enim Modus non sit Entitas tam perfecta, quàm est ipsius subjectum, quia tamè præter & citra mentis operationem ponit aliquid in re, idè rectè in Entium numerum refertur, cum ipsi definitio Entis realis competat. Dicitur (2.) quod actu rem singularem afficiat; quæ verba volunt, quod Modus per suam essentiam quasi sit actualis determinatio rei indifferentis. (3.) Dicitur, quod Modus per potentiam DEI absolutam nō possit esse, nec etiam concipi, nisi actu afficiat rem singularem: id quod fuit ex ipsa ratione formali Modi; hoc ipso enim quod de Modi essentia est actu afficere & determinare rem singularem, implicat, Modum posse esse in rerum natura, sine suo subjecto quod afficit, sic enim actu non afficeret illud, adeoque sic actu non haberet Modus suam essentialem rationem, quia quod non est, non potest actu Modus afficere, nam quod non est, illud neque sedet, neque ambulat, neque est in loco &c. Licet autem Modus à re positivè separari non possit, benè tamen potest res separari à suo Modo, ita ut Modus pereat manente re, cujus est Modus v. g. pereunte sessione dum surgit Petrus, & stat vel deambulat, manet nihilominus Petrus, & cessante unione inter corpus & animam Petri, manet nihilominus corpus & anima ipsius. Atque hinc (4.) fuit, quod Modus citra intellectus operationem à re, cujus est Modus, distinguatur.

§. IIX. Subsistentia igitur talis est Modus, quia est tam debilis Entitas, ut non possit esse, nisi actu rem singularem afficiat, neque etiam sine ista re concipi potest. Dicitur (2.) in descriptione, *vel quod se habet ut Modus*, ut subsistentia divina etiam aliquo modo comprehendatur, quæ licet Modus non sit, cum ab essentia divina realiter non differat, quod aliàs ad Modum strictè sic dictum requiritur; à nobis tamen concipi solet subsistentia divina ut Modus. Dicitur (3.) *quod per Subsistentiam substantia singularis existat complete.* Est autem substantia singularis, quæ neque